



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac
de ejus voluntate, & Providentia

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. IV. An Theologia sit eminenter formaliter speculativa & practica?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](#)

ARTICVLVS IV.

An Theologia sit eminenter formaliter speculativa & practica?

§. I.

Quibusdam premissis, conclusio affirmativa statuitur.

40.

Notandum primò, aliquam perfectionem contineri posse in aliquo tripliciter: nempe formaliter tantum, sicut rationalitas est in homine: eminenter tantum, sicut calor in Sole; formaliter simul & eminenter, sicut sensitivum & vegetativum in anima rationali, justitia & misericordia in Deo.

Notandum secundò, inter habitum speculativum & practicum, hanc esse differentiam: quod primus sit in sola veritatis contemplatione, secundus vero ordinatur ad operationem, vel immediate cam dirigendo & regulando, sicut prudentia, & ars; vel saltē mediata & remotè, ut patet in synderesi, quæ habitus practicus est, & tamen, non immediate, sed mediante prudentiā, dirigit studiosam operationem; & in Ethica, quæ est scientia practica, quia tradit regulas humanorum actuum in communi, quas prudentia naturalis applicat ad hoc vel illud particulae factum.

Notandum tertio, ea quæ sunt dispersa in inferioribus uniri & conjungi in superioribus, sicut visivum & auditivum in sensu communi, vegetativum & sensitivum in anima rationali; & sicut species quæ Angelus cognoscit naturam genericam animalis v. g. continet, & repræsentat naturam hominis, leonis, equi, &c. ut dicitur in tractatu de Angelis. His premissis.

41.

Dico, Theologiam esse eminenter formaliter speculativam & practicam, magis tamen esse speculativam, quam practicam. Ita D. Thomas hic art. 4. ejusque Discipuli, contra plures ex recentioribus, qui docent Theologiam esse tantum speculativam, vel tantum practicam, secundum diversos habitus partiales, ex quibus putant illam esse compositam & coalitam.

Probatur primò conclusio ex principiis articulo præcedenti statutis. Ut enim ibidem ostendimus, Theologia habet pro ratione formaliter quæ, Deum, sub ratione Deitatis; pro ratione vero sub qua, revelationem virtualem: Sed ex utroque capite habet, quod sit simul speculativa & practica: Ergo &c. Minor probatur: cum enim Deus, sub ratione Deitatis, sit prima veritas, & ultimus finis, est etiam prima regula speculacionis & praxis, primumque speculabile & operabile: operabile, inquam, non physicæ, sed moraliter: quatenus actibus nostris meritorii, in ratione ultimi finis consequibilis est. Item revelatio virtualis supponit fidem, quæ est eminenter formaliter speculativa & practica: cum non solum inharet, & innitatur prima veritati revelanti; sed etiam ad operationem & dilectionem se extendat, ut docet S. Thomas 2. 2. quest. 9. art. 3. his verbis: *Fides primò & principaliter in speculatione consistit, inquantum inharet prima veritati: sed quia prima veritas est ultimus finis propter quem operamur, inde etiam est quod fides ad operationem se extendit, secundum illud ad Galat. 5. fides per dilectionem operatur.*

Tom. I.

A Confirmatur primò: donum Scientiae magis & principaliter speculationem respicit, quæ homo fit quæ fide tenere debeat: secundariò autem extendit se ad operationem, secundum quod credibilium Scientiæ in agendis dirigimur, ut ibidem docet S. Doctor, ex quo infert tale donum esse simul speculativum & practicum: Ergo similiter cum Theologia non sicut in contemplatione prima veritatis, & articulorum fidei, sed etiam se extendat ad operationem, eam dirigendo, remotè saltē & mediata, quatenus tradit media quæ ad illam conducunt, non solum est speculativa, sed etiam practica, quamvis magis sit speculativa quam practica: quia ut ait S. Doctor hic art. 4. *Principalius agit de rebus divinis, quam de actibus humanis, de quibus agit, secundum quod per eos ordinatur homo ad perfectam Dei cognitionem, in qua beatitudine consistit.* Ad quoquid, fides à quæ Theologia dependet, primo & principaliter est speculativa, ut docet D. Thomas loco supra citato: Ergo & Theologia.

Confirmatur secundò: Metaphysica est speculativa, quia agit de Deo ut primo principio, moralis vero, practica, quia tractat de ultimo fine, & mediis ad illum conducedit: Ergo cum Theologia utrumque præstet, & consideret Deum in ratione primi principij, & ultimi finis; agatque de mediis ad illum conducedit, simul erit speculativa & practica.

Confirmatur tertio: quæ sunt dispersa in inferioribus, uniuntur in superioribus, ut docet Dionysius, & constat in anima rationali, in sensu communi, & speciebus Angelicis, ut exposuit in tertio notabili: Sed Theologia est superior ad omnes scientias naturales, cum versetur circa objectum infinitum, illudque attingat, sub lumine divinae revelationis: Ergo practicum & speculativum, que sunt differentiae divisiæ scientiarum naturalium, adunantur in Theologia, & in ea eminenter formaliter continentur: sicut vegetativum & sensitivum in anima rationali, & visivum & auditivum in sensu communi.

Probatur secundò ratione quam indicat D. Thomas hic art. 4. his verbis: *Licet in Philosophicis, alia sit doctrina practica, alia speculativa; Sacra tamen Doctrina comprehendit sub se utramque, sicut Deus eadem scientiæ cognoscit se, & ea que facit.* Ex quibus verbis haec potest deduci ratio: Theologia est quadam impressio, seu imago scientiæ divinae, ut docet idem S. Doctor hic art. 3. ad 2. At scientia Dei est eminenter formaliter speculativa & practica, ut tractatu 3. ostendemus: Ergo & Theologia.

§. II.

Solvuntur objectiones.

O Bjicies primò: duæ differentiæ oppositæ, 44. divisiæ alicujus generis, non possunt eidem speciei convenire, sicut rationale & irrationale eidem animali: Sed speculativum & practicum sunt differentia opposita, divisiæ scientiæ ut sic: Ergo non possunt simul convenire Theologie.

Respondeo negando Minorem: practicum enim & speculativum, non sunt differentiæ divisiæ scientiæ ut sic, & prout scientia est genus supremum, ad Theologiam & scientias naturales; sed tantum scientiæ naturalis ut sic, & prout est genus subalternum ad omnes scientias naturales.

B iii

DISPUTATIO PROOEMIALIS

Ut enim notat h̄ic Caietanus , speculativum & practicum se habent ad scientiam ut sic , sicut vivum & auditivum ad sensum. Unde sicut sensus ut sic , primō dividitur in communem & proprium : proprius verō subdividitur in vivum , auditum , &c. Ita scientia ut sic , dividitur primō in infinitam , id est habentem objectum infinitum , qualis est Theologia ; & finitam , seu habentem objectum finitum , qualis est scientia purē naturalis ; & h̄ac subdividitur in speculativam & practicam. Quamvis ergo speculativum & practicum sint differentiae essentiales distinguentes scientias finitas , subindeque non possunt in illis adunari ; non tamen sunt differentiae essentiales scientias infinitas , sed in illa adunari possunt , & eminenter formaliter contineri : quia , ut supra dicebamus , quae sunt dispersa in inferioribus , uniuntur in superioribus , & objectum infinitum , potest simul esse regula speculationis & praxis , cūm sit simul prima veritas & ultimus finis.

Dices , Metaphysica etiam considerat Deum , & tamen est purē speculativa : Ergo h̄ac ratio nulla est.

Respondeo primō , Metaphysicam non respicere Deum , sub ratione Deitatis , sicut Theologiam , sed ut est ens abstrahens à materia intelligibili , nec illum considerare sub ratione ultimi finis , saltem formaliter & direc̄te ; cūm non agat de mediis ad illum conducebantibus , sicut Theologia.

Respondeo secundō , quod licet daretur Metaphysicam respicere Deum sub ratione Deitatis , in hoc tamen differet à Theologia , quod prima illum respiciat , ut cognoscibilem ex creaturis , & lumine naturali intellectus creati : secunda verō eum attingat , sub lumine supernaturali fidei , quae est eminenter formaliter speculativa & practica , ut confat ex supra dīctis.

Objicies secundō : si Theologia est simul speculativa & practica , quilibet etiam ejus actus est speculativus & practicus : Sed hoc est falsum: Ergo &c. Major videtur manifesta , nam in quilibet actu reperiri debet ratio formalis objecti & habitus. Minor verō probatur. Ita conclusio Theologica , In divinis sunt quatuor relationes , videtur esse merē speculativa ; & h̄ac , Peccatum mortale privat gratiā & charitate , ac inducit reatum pona ēterna , merē practica : Ergo quilibet actus Theologiae non est simul speculativus & practicus.

Respondent aliqui negando minorem : ad cuius probationem , negant subsumptum : imo , inquit , quilibet praedictarum conclusionum , est simul speculativa & practica : quia non debemus judicare , an aliquis actus sit speculativus , vel practicus , ex objecto materiali , sed ex ratione formalis : quæcumque autem tractantur in Theologia , attinguntur sub lumine divinae revelationis , & per se ordinantur ad Dei visionem , qua simul est contemplatio prima veritatis , & consecutio ultimi finis , ideoque simul includunt rationem practici & speculativi , quamvis secundum se , & secundum objectum materiale , apparent merē speculativa , vel merē practica. H̄ac solutio probabilitate non careret.

Secundō tamen responderi potest , negando sequelam majoris , licet enim anima rationalis sit eminenter formaliter vegetativa & sensitiva , quilibet tamen ejus actus non est vegetativus & sensitivus : ita licet habitus Theologiae sit emi-

A nenter formaliter speculativus & practicus , non requiritur tamen , ut quilibet ejus actus utramque rationem habeat , quia quilibet actus non fertur ad omnia quae pertinent ad habitum : unde licet quilibet actus debeat participare rationem formalem habitus , non est tamen necessarium , quod illam totaliter & adæquatè participe : licet enim illa sit formaliter indivisibilis , virtualiter tamen divisibilis est , & uni actui inadæquatè convenire potest.

ARTICVLVS V.

B An Theologia sit certior alijs scientijs & habitibus naturalibus?

§. I.

Tria premittantur ad resolutionem questionis necessaria.

C N Otandum primō : quod sicut duplex est veritas , una objectiva , quae est in rebus ipsis ; & alia formalis , quae residet in intellectu cognoscente , ut docetur in Metaphysica , ita & duplex certitudo : una objectiva , quae est firma & invariabilis objecti determinatio ; alia formalis , seu subjectiva , quae est firma adhaesio intellectus ad verum. Et h̄ac adhuc est duplex : una imprima , que oritur ex sola motione & impetu voluntatis , determinantis intellectum ad assentiendum aliqui objecto , ut contingit in Hæreticis , qui non credunt ex motu divinae revelationis , sed ex eo quod iudicant unum articulum fidei esse credibile , non verō alium ; & h̄ac magis dicenda est pertinacia quam certitudo : altera propria , que oritur ex efficacia medij , vel rationis determinantis intellectum ad assentiendum veritati , & de hac solūm procedit quæstio.

D Notandum secundō : aliquam scientiam , vel habitum , posse dici duobus modis alio certiorē : Primo quoad se , quia scilicet ex se & ex sua natura , firmiores habet causas sue certitudinis . Secundo quoad nos , quando scilicet ejus certitudo est magis connaturalis , & proportionata nostro intellectui , magisque illum satiat & quietat , quod contingit , quando certitudo est conjuncta cum claritate & evidentiā.

E Notandum tertio : aliud est quod aliquis habitus vel scientia sit certior prout est in nobis , & aliud quod sit certior quoad nos. Ad primum enim sufficit , quod talis habitus vel scientia , ut recepta in nostro intellectu , & quatenus illum informat , majorem ei tribuat certitudinem , & adhaesione ad verum : ad secundum verō requiritur insuper quod talis certitudo sit magis connaturalis , & proportionata intellectui nostro , magis illum satiat & quietat ; magisque ab illo motu hæsitationis & dubitationis excludat. Quæ distinctione diligenter annotanda est , ex ejus enim inadvertientia frequens contingit apud aliquos recentiores hallucinatio , & equivocatio in hac materia.

§. II.

Triplex conclusio statuitur.

Dico primō : Theologiam esse certiorem quoad se , quālibet scientiā , & habitu naturali , non solū certitudine objectivā , sed etiam subjectivā. Ita D. Thomas h̄ic art. 5. &

47.